



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Syntagma Iuris || Vniversi, Atqve Legvm || Pene Omnivm  
Gentivm, Et || Rervm Pvblicarvm Præcipvarvm,||**

**Grégoire, Pierre**

**Francofurti ad Mœnum, M.D.XCIX.**

**VD16 VD16 G 2999**

6 de his quæ sponsalibus accidunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97739](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97739)

De his quæ sponfalibus accidunt. Cap. 6.

- 1 Sponfalicia de futuro non faciunt matrimonium, sed obligant ad contrahendum.
- 2 Sponfalicia aut simplicia, aut firmata.
- 3 Fermailles Tolofatibus quare sponfalicia dicantur.
- 4 Iuramento sponfalicia firmata.

¶ **E**X sponfalibus proprie de futuro conceptis, non fit matrimonium, sed obligatio ad contrahendum matrimonium. Obligationum enim substantia non in eo consistit, vt aliquod corpus nostrum faciat, sed vt alium nobis obstringat ad dandum aliquid, vel faciendum, vel præstandum, *Paul. l. 3. de actio. lib. 4. P. tit. 7.* Proinde sicut in aliis obligationibus cautionibus & pignora interueniunt, eo modo & in horum pactioibus. ¶ Erunt itaque sponfalium due species, nempe simplex vna, alia firmata. Simplex, quando nude & simpliciter promittunt sibi mutuo sponfus & sponfa nuptias futuras, *c. penult. de spons. ap. Greg.* nulla pactioe, nulla scriptura, vel alia solemnni confirmatione interueniente, non arrha, non pignore accedente. Firmata sponfalicia dicuntur, quando pacta accedunt de dotis constitutione & redditione, *Imper. Alexan. l. lege quam dixisti 10. de pact. lib. 2. C. tit. 2.*

¶ Vel iuramentum † de implenda promissione nuptiarum, *ca. si quis desponsauerit 27. q. 2. c. de illis, & c. veniens ad nos, de sponsa.* firmantur quippe pactioe, alioquin nude & inefficaces ad agendum, iuramento, *l. iurijurandi, de oper. libert. lib. 38. tit. 1. P. autb. sacramenta puerum. si aduers. venditio. C. ca. cum contingat, de iurijurand. apud Gregor. & c. licet, eod. tit. in 6. cum similibus.* Inde & apud nostros Tolofates, & Testofages, hæc sponfalicia publice facta cum arrharum datione, & aliis cautionibus, dicuntur a firmitate *fermailles*, quæ, vt plerunque per verba † de presentibus fiunt, & nuptiarum habent idcirco robur ante benedictionem ecclesiasticam: Extat de iuramenti firmitate in sponfalibus Exemplum apud Ouidiū epist. 18. *Acontii ad Cydippem.* de Acontio, qui cum ob generis imparitatem non auderet in vxorem petere Cydippem, cuius amore tenebatur captus, nouam cōmentus est fraudem, cui ab ea iuramentum nuptiarum extorqueret, scripsitque in pomo hos versus vel similes,

*Iuro tibi sane per mystica sacra Diana,  
Me tibi venturam comitem, sponfam que futuram.*

Quod cum in Cydippes sinum sacra Dianæ ministranti icesset, illaque verba legisset, illi visa est sibi fidem coniugii indissolubilem dedisse, atq; sic ei scribit ideo:

*Coniugium pactamque fidem, non crimina posco,  
Debitus, vt coniuinx, non vt adulter, amo.  
Verba licet repetas qua dentus ab arbore fetus  
Periulit ad castas me iacient manus:  
Inuenies illic id te iurasse, quod opto,  
Ni tibi cum verbis, excidit illa fides.*

De Arrha, & Sponfalicia largitate & donatione propter nuptias. Cap. 7.

- 1 Arrha sponfaliorum in symbolam futuri matrimonii, & ad probationem fidei datur.
- 2 Arrha & pignoris differentia.
- 3 Arrham sponfalib. vt plerunque annulus & in aliis. Annuli vsus in sponfalibus & in aliis num. 3. Annulus sponfa mittebatur sine gemma.
- 4 Annulis quare fingant se includi posse demones.
- 5 Annulorū Excepsi Phocensium ducis incantatorum, & Gygis & Medæ narratio.
- 6 Annulos ferens mulier, desponsata censetur, & nu. 9.
- 7 Annulus quo desponsat dux Mediolani, mare & imperium.
- 8 Annulus quare datur Episcopis.
- 10 Annulus sponfalitius quare in digito medicinali sponfa ponatur.
- 11 Arrharum nomine aliud quam annulus. (sponfa)
- 12 Arrha quomodo duplicada & quando, dissonnentibus a nuptiis
- 13 Arrharum sponfalitarum, & sponfalicia largitatis differentia.
- 14 Sponfalicia largitas duplex.
- 15 Sponfalicia largitatis munera ἀνακαταθήσια, ἐπιθήσια, ἐπαίλια, & ἀπύρα.
- 16 De donatione, quæ ante vel propter nuptias est.
- 17 Donationis propter nuptias, & sponfalicia largitatis differentia, num. 23.

- 18 Donatio ante nuptias quare dicatur ita.
- 19 Donatio ante nuptias tempore coniugii hodie fieri potest, non contra.
- 20 Dos constante matrimonio auferri & minui potest.
- 21 Dos causam habet pietatis, vt errore soluta non repetatur.
- 22 Donatio propter nuptias ab æqualitate dotis sustinetur.
- 23 Donatio propter nuptias in casu restitutionis dotis, in dotis solutionem venit.
- Donatio propter nuptias an hypothecam habeat potiore, quam lem dos.
- 24 Arrigepa dicuntur donationes propter nuptias.
- 25 Ἐπίδοτος accessionem dotis dixerunt Græci.
- 26 Donatio propter nuptias non semper æqualis doti fuit & quando.
- 27 Æqualitas donationis propter nuptias, quare hodie non desideratur cum dote.
- 28 Societas legitimæ, in qua alter pecuniâ, alter industriam tantum contribuit.
- 29 In æqualitate dotis constituenda, obseruandi mores & pacta placita, quæ dote derogant.
- 30 Orio pro dote æqualitate feras venatus insule dedit: David præputia Philistinorum.
- 31 Augmentum seu ἐπιδοτος pro dote datum vxoribus, vt pro eo Græcis data dimidia pars dotis, apud Hellines triens.

De augmento seu incremento dotis, inibi.

¶ **A**ccedit † arrha sponfalibus, non tam pœnæ nomine, quam in symbolum futuri matrimonii, & ad fidei datæ probationem, & quod sponfalicia facta sint, sicut in emtione aduenit, *Cal. l. quod sepe 35. de contrab. em. lib. 18. P. tit. 1. §. 1. eod. tit. apud Iustin.* ¶ Vt ait Suidas, ἀρραβών, τῆς ὄψας πρὸς τὸν ἐνυμνίων διδόντων πρῶτον καὶ ἀρραβὸν ὑπὲρ ἀοφθαλμίας, arrhabo, pecunia quæ in emtione primo dependitur, ad fidem faciendam, his quæ emta sunt perfoluendis, in quo differta pignore, nam pignus seu Græce ἐπίχυρον, pro mutua pecunia data, & debito factio opponitur, vt tandiu sit apud creditorem, quamdiu pecunia apud debitorem: vt arrhabo futuræ emtionis quasi testimonium, vt D. Hieronymus annotat. *D. Hieronym in epistol. ad Ephes. ca. 1.* ¶ Arrhæ nomine † in sponfalibus datur fere semper annulus, sic enim & olim factitatum narrat Plinius lib. 33. *cap. 1. qui ob obligationem,* inquit, aureos acceptant annulos in publico ratum vt ebantur eis intra domos vero ferreis. Quo argumento etiam nunc sponfa annulus ferreus mittitur, siq; sine gemma. Et rursus, cōmunem sponfionis omnib. arrham fuisse annulos ostendit, ex eo quod annulo omnia signarentur, vt intacta essent, & vindicarentur a rapto. Et paulo post, *celebratio quippe vsus,* inquit, cum sanere cupisset debet: argumento est consuetudo vulgi ad sponfiones etiam nunc annulo exsistente, tracta ab eo tempore, quo nondum erat arrha velociter: vt plane affirmare possumus, nūmos ante apud nos, max ea ipse annulos, Sic signatorius annulus ab ornamento auferret, *Paul. l. signatorius, 74. de verb. signific. lib. 50. P. tit. 16.* Et Iuuenalis Satyr. 6. de illo sensisse videtur, dum monet Vrsidium, ne facile patiatur se matrimonio alligari, dicens:

*Viderunt primos argentea secula mœchos  
Conuennum tamen, & pactum, & sponfalicia, nostra  
Tempestate paras, tam que a tonsore magistro  
Pelleris, & digito pignus fortasse dedisti.*

Apud Hebræos annulum fuisse promissionis quoque arrhabonem exemplum Thameris docet. quæ pro concubitu passio ab Iuda, & promisso hædo in præmium, petiit sibi dari pro arrhabone & fide missionis præstandæ annulum & armillam, *Genes. 38.* Et Pharaos Egypti rex in signum potestatis cœcessio Iosepho, & quod eum constituisset moderatorem populi fidei datæ arrhabonem dedit annulum suum, *Genes. 41.* Reconciliationis factæ arrhas & symbolum cū filio prodigo pater annuli aureum esse ostendit, dicens, *date illi aureum annuli,* & c. apud D. Lucam 15. c. ¶ Hinc † astuti humane nature hostes impii demones fingunt se ampullis includi, & volūt per deceptos annulis se deferri: non quod includantur illis, sed quod miseris animas symbolo accepto annuli, vt arrhabone suas reddant, & decipiat, leuiter illis mendacii patribus credentes & fidentes. ¶ Sic † Excepsus Phocensium tyrānus duos gestabat incantatos annulos, ex quorum sonitu profitebatur se scire tempus gerendæ rerum: mortuus tamē is est dolo interfectus, vt refert ex Aristotele de republica Phocensium Clemens Alexandrinus, *lib. 1. Stromaton.* Fidendum enim nunquam tam sceleratis spiritibus est, etsi Gygis donent annulum, quo ille inuisibilis omnia cōspiciens reddebatur, cum